Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.

+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.

+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.

+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

Acc. 18181

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

9000

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Acc. 18181

DE CIVILI

TATE MORVM PVERILIVM per DES. ERASMVM ROTE rodamum libellus nunc primũ & conditus & æditus.

BASILEAE, ANNO M. D. XXX.

Cum gratia & priuilegio Cæsareo.

BIBLIOTHECA CANTABRIGIENSIS

Digitized by Google

Digitized by Google

ERASMVS

ROTERODAMVS GENEROSO cum primis & optimæ ſpei puero ADOLPH. principis Veriani filio S.

SITER maximum illum Paulum nõ piguit omnia fieri omnibus, quo prodeſſe poſſet omnibus, quãto minus ego grauari debeo iuuandæ iuuẽtutis amore ſubinde repuerascere. Itaq; quemadmodũ pridem ad MAXIMILIANI fratris tui primam adoleſcentiam memet accommodaui, dum aduleſcẽtulorum formo linguam: ita nunc me ad tuam attempero pueritiam de puerorũ moribus præcepturus: nõ quod tu hiſce præ

Digitized by Google

ſcriptis magnopere egeas, primũ ab in cunabulis inter aulicos educatus, mox nactus tam inſignem formandæ rudis ætatis artificem: aut quod omnia quæ præſcribemus ad te pertineãt, & è principibus & principatui natum: ſed ut libentius hæc ediſcãt omnes pueri, quod ampliſſimæ fortunæ, ſummæque ſpei puero dicata ſint. Nec enim mediocre calcar addet uniuerſæ pubi, ſi cõſpexerint heroũ liberos à primis ſtatim annis dicari ſtudijs, & in eodem cũ ipſis ſtadio currere.

Munus autem formãdi pueritiam multis conſtat partibus, quarum ſicuti prima ita præcipua eſt, ut tenellus animus imbibat pietatis ſeminaria: proxima ut liberales diſciplinas & amet, & perdiſcat: tertia eſt, ut ad uitæ officia inſtruatur: quarta eſt, ut à primis ſtatim æui rudimentis ciuilitati morum aſſue

ſcat.

Digitized by Google

ſcat. Hanc poſtremam nunc mihi pro-
prie ſumpſi. Nam de ſuperioribus quũ
alij complures, tum nos quoq; permul
ta ſcripſimus. Quanquam autem exter
num illud corporis decorum ab animo,
bene compoſito proficiſcitur, tamẽ in-
curia præceptorum nonnunquam fie-
ri uidemus, ut hanc interim gratiam in
probis & eruditis hominibus deſidere
mus. Nec inficior hanc eſſe craſſiſſimã
philoſophiæ partem, ſed ea, ut ſunt ho
die mortalium iudicia, plurimum con-
ducit & ad cõciliandam beneuolentiã,
& ad præclaras illas animi dotes oculis
hominum commendandas. Decet au-
tem ut homo totus ſit compoſitus ani-
mo, corpore, geſtibus, ac ueſtitu, ſed in
primis pueros decet omnis modeſtia,
& in his præcipue nobiles. Pro nobili-
bus autem habẽdi ſunt omnes, qui ſtu
diis liberalibus excolunt animum. Pin

gant alij in clypeis suis leones, aquilas, tauros, & leopardos, plus habent ueræ nobilitatis, qui pro insignibus suis tot possunt imagines depingere, quot perdidicerunt artes liberales.

Vt ergo bene compositus pueri animus undiq; reluceat, relucet autem potissimum in uultu, sint oculi placidi, uerecundi, compositi, non torui, quod est truculentiæ, non improbi quod est impudentiæ, non uagi ac uolubiles, quod est insaniæ, non limi, quod est suspicio sorum & insidias molientium, nec immodice diducti, q̃d est stolidorum, nec subinde conniuentibus genis ac palpebris, quod est inconstantiũ, nec stupentes, quod est attonitorum, id in Socrate notatum, nec nimiũ acres, quod est iracundiæ signum, non innuentes ac loquaces quod est impudicitiæ signum, sed animum sedatũ ac reuerenter ami-

cum

Digitized by Google

cũm præ se ferentes. Nec enim temere dictum est à priscis sapientibus, animi sedem esse in oculis. Picturæ quidẽ ueteres nobis loquuntur, olim singularis cuiusdã modestiæ fuisse, semiclusis oculis obtueri, quemadmodum apud Hispanos quosdã, semipetos intueri blandum haberi uidetur & amicum. Itidẽ ex picturis discimus, olim cõtractis strictisq; labijs esse, probitatis fuisse argumentum. Sed quod suapte natura decorum est, apud omnes decorum habebitur. Quanquã in his quoq; decet interdum nos fieri polypos, & ad regionis morem nosmet attemperare. Iam sunt quidam oculorum habitus, quos alijs alios addit natura, qui non cadũt sub nostras præceptiones, nisi quod in compositi gestus non raro uiciant, non solum oculorum, uerum etiã totius corporis habitum ac formam. Contra cõ-

Digitized by Google

positi, quod natura decorum est, reddunt decētius: quod uiciosum est, si nō tollunt, certe tegunt minuuntq;. Indecorum est clauso oculorum altero quē quā obtueri. Quid enim hoc aliud est, quàm seipsum eluscare? Eum gestum thynnis ac fabris relinquamus.

Sint exporrecta supercilia, non adducta, quod est toruitatis: non sublata in altum, quod est arrogantiæ: non in oculos depressa, q̄d est male cogitātiū.

Frons itē hilaris & explanata, mentem sibi bene consciam, & ingenium liberale præ se ferens, non in rugas contracta, quod est senij: nō mobilis, quod est erinaciorum: non torua, quod est taurorum.

A naribus absit mucoris purulētia, quod est sordidorum. Id uicium Socrati philosopho datum est probro. Pileo aut ueste emungi rusticanum, brachio cubitóue

Digitized by Google

cubitóue salsamentariorum, nec multo ciuilius id manu fieri, si mox pituitam uesti illinas. Strophiolis excipere nariùm recremēta decorum, idq; paulisper auerso corpore, si qui adsint honoratiores. Si quid in solum deiectū est emuncto duobus digitis naso, mox pede pterendum est. Indecorū est subinde cū sonitu spirare naribus, bilis id indiciū est. Turpius etiā ducere ronchos, quod est furiosorum, si modo fiat usu. Nam spiritosis qui laborāt orthopnœa, danda est uenia. Ridiculum naribus uocē emittere, nam id cornicinum est & elephantorum. Crispare nasum, irrisorū est & sannionum. Si alijs præsentibus incidat sternutatio, ciuile est corpus auertere. Mox ubi se remiserit impetus, signare os crucis imagine, dein sublato pileo resalutatis qui uel salutarunt, uel salutare debuerant: nam sternutatio

quemadmodum oſcitatio ſenſum au/rium prorſus aufert: precari ueniã, aut agere gratias. Alterum in ſternutamẽ/to ſalutare religioſum, & ſi plures ad/ſint natu maiores qui ſalutent uirũ aut fœminam honorabilem, pueri eſt ape/rire caput. Porrò uocis tinnitũ ſtudio intendere, aut data opera ſternutamẽ/tum iterare, nimirum ad uirium oſten/tationem, nugonum eſt. Reprimere ſo nitum quem natura fert, ineptorũ eſt, qui plus tribuũt ciuilitati quam ſaluti.

Malas tingat natiuus & ingenuus pudor, non fucus aut aſcititius color. Quanquam is quoq; ſic temperandus eſt, ut nec uertatur in improbitatẽ, nec adducat ſtuporem, & quartum, ut ha/bet prouerbium, inſaniæ gradum. Qui buſdam enim hic affectus tam impo/tens inſitus eſt, ut reddat deliranti ſi/millimum. Temperatur hoc malum, ſi

puer

Digitized by Google

puer inter maiores assuescat uiuere, & comœdijs agendis exerceatur. Inflare buccas fastus indicium est, easdem demittere, est animũ despõdentis: alterũ est Thrasonis, alterũ Iudæ proditoris.

Os nec prematur, quod est metuentis alterius halitũ haurire, nec hiet, q̃d est morionum, sed leniter osculantibus se mutuo labris cõiunctum sit. Minus etiam decorum est subinde porrectis labijs ueluti poppysmum facere, quanquam id magnatibus adultis per mediam turbam incedentibus condonandum est, illos enim decent omnia, nos puerum formamus.

Si fors urgeat oscitatio, nec datur auerti aut cedere, strophio uolaue tegatur os, mox imagine crucis obsignetur. Omnibus dictis aut factis arridere stultorum est, nullis arridere stupidorum. Obscœne dictis aut factis arridere ne/

Digitized by Google

re nequicia est. Cachinnus & immodicus ille totum corpus quatiens risus, quem ob id Græci συγκρούσιον appellant, nulli decorus est ætati, nedum pueritiæ. Dedecet autem quod quidã ridentes hinnitum edunt. Indecorus & ille qui oris rictum late diducit corrugatis buccis, ac nudatis dẽtibus, qui caninus est & Sardonius dicitur. Sic autem uultus hilaritatẽ exprimat, ut nec oris habitum dehonestet, nec animum dissolutum arguat. Stultorum illæ uoces sunt, risu diffluo, risu dissilio, risu emorior: & si qua res adeo ridicula inciderit, ut nolentibus eiusmodi risum exprimat, mappa manuue tegẽda facies. Solum aut nullam euidentem ob causam ridere, uel stultitiæ tribuitur, uel insaniæ. Si quid tamẽ eiusmodi fuerit obortum, ciuilitatis erit alijs aperire risus causam, aut si nõ putes proferendam,

cõmen-

commenticium aliquid adferre, ne quis se derideri suspicetur. Superioribus dē tibus labrum inferius premere, inurbanum est, hic enim est minantis gestus, quemadmodum & inferioribus mordere superius. Quin & labrorum oras lingua circumuoluta subinde lambere ineptum: porrectioribus esse labris, & uelut ad osculum cōpositis, olim apud Germanos fuisse blandum indicant illorum picturæ: porrecta lingua deridere quenquā scurrile est. Auersus expuito, ne quem conspuas aspergasue. Si quid purulentius in terram reiectū erit, pede, ut dixi, proteratur, ne cui nauseam moueat. Id si nō licet, linteolo sputum excipito. Resorbere saliuam inurbanum est, quemadmodum quosdam uidemus non ex necessitate, sed ex usu ad tertium quodq; uerbum expuere. Quidam indecore subtussiunt identi-

dem

dem inter loquendum, idq̃ non ex ne/
cessitate, sed ex more: is gestus est men
tientium, & inter dicendum quid dicãt
comminiscentium. Alij minus etiã de/
core ad tertium quodq̃ uerbum eru/
ctant, quæ res si à teneris annis abierit
in consuetudinem, hæret etiam in gran
diorem ætatem. Idem sentiendum de
screatu, quibus nominibus à seruo no/
tatur Terẽtianus Clitipho. Si tussis ur
geat, caue ne cui in os tussias, & absit in
eptia clarius tussiẽdi, quàm natura po/
stulet. Vomiturus secede, nam uomere
turpe non est, sed ingluuie uomitũ ac/
cersisse deforme est. Dentium mundi/
ties curanda est, uerum eos puluisculo
candidare puellarum est, sale aut alu/
mine defricare, gingiuæ perniciosum,
idem lotio facere Iberorũ est. Si quid
inhæsit dentibus, non cultello, non un/
guibus, canũ felium ue more, nõ manti
li exi/

li eximendum est, sed uel lentisci cuspi/
de, uel penna, uel ossiculis è gallorũ aut
gallinarum tibijs detractis. Os mane
pura aqua proluere, & urbanum est &
salubre, subinde id facere ineptum. De
linguæ usu suo dicemus loco. Rustica/
num est impexo esse capite, adsit mun
dicies, non nitor puellaris. Absint sor/
des lendium & uermiculorum. Subin/
de scabere caput apud alios, parum de
cet: quemadmodum unguibus reliquũ
fricare corpus sordidum est, præsertim
si fiat usu, non necessitate. Coma nec
frontem tegat, nec humeris inuolitet.
Subinde concusso capite discutere ca/
pillitium, lasciuientium est equorũ. Cæ
sariem à fronte in uerticem leua retor/
quere, parum elegans est, manu discri/
minare modestius. Inflectere ceruicem
& adducere scapulas pigritiam arguit,
resupinare corpus fastus indicium est,
molliter

molliter erectum decet. Ceruix nec in leuum, nec in dextrum uergat, hypocriticum enim, nisi colloquium aut aliud simile postulet. Humeros oportet æquo libramine temperare, non in morem antennarum alterum attollere, alterum deprimere. Nam huiusmodi gestus in pueris neglecti, uertuntur in naturam, & corporis habitum præter naturam deformant. Itaq; qui præ desidia collegerũt consuetudinẽ inflectendi corpus, sibi gibbum cõciliant, quem natura non dederat: & qui deflexum in latus caput habere consueuerunt, in eum habitum indurescũt, ut adulti frustra mutare nitantur. Siquidem tenera corpuscula plantulis similia sunt, quæ in quamcunq; speciem furca funiculóue deflexeris, ita crescunt & indurescũt. Vtrunq; brachium in tergũ retorquere, simul & pigritię speciem habet & furis: neq;

tis: neq; multo decentius est altera manu in ilia iniecta astare sedereúe, quod tamen quibusdam elegans ac militare uidetur. At non statim honestum est quod stultis placuit, sed quod naturæ & rationi cõsentaneum est. Reliqua dicentur quum ad colloquium, & conuiuium uentum erit. Membra quibus natura pudorẽ addidit retegere citra necessitatem procul abesse debet ab indole liberali. Quin ubi necessitas huc cogit, tamen id quoq; decente uerecũdia faciendum est, etiam si nemo testis adsit. Nunquam enim non adsunt angeli, quibus in pueris gratissimus est pudicitiæ comes custosq; pudor. Quorũ autem cõspectum oculis subducere pudicum est, ea multo minus oportet alieno præbere contactui. Lotium remorari ualetudini perniciosum, secretò reddere uerecundum. Sunt qui præcipiãt

Digitized by Google

ut puer compressis natibus uentris flatum retineat. Atqui ciuile non est, dum urbanus uideri studes morbum accersere. Si licet secedere, solus id faciat. Sin minus, iuxta uetustissimum prouerbium, Tussi crepitũ dissimulet. Alioqui quur non eadem opera præcipiunt ne aluum deijciant, quum remorari flatũ periculosius sit quàm aluum stringere. Diductis genibus sedere, aut diuaricatis tibijs distortisue stare, Thrasonum est. Sedẽti coëant genua, stanti pedes, aut certe modice diducantur. Quidam hoc gestu sedent, ut alteram tibiam altero genu suspendant, nonnulli stant decussatim compositis tibijs, quorũ alterum est anxiorum, alterum ineptorum. Dextro pede in læuum femur iniecto sedere priscorum regum mos est, sed improbatus. Apud Italos quidam honoris gratia pedẽ alterũ altero premũt,

mũt, unicq; propémodũ insistunt tibiae ciconiarũ ritu, quod an pueros deceat nescio. Itidẽ in flectẽdis genibus aliud apud alios decet dedecetúe. Quidam utrunq; pariter inflectunt, idq; rursus alij recto corpore, alij nonnihil incurua to. Sunt qui hoc ceu muliebre rati, similiter erecto corpore primum dextrum incuruant genu, mox sinistrum, quod apud Britannos in adolescentibus laudi datur. Galli modulato corporis circumactu dextrum duntaxat inflectũt. In his in quibus uarietas nihil habet cum honesto pugnãs, liberum erit uel uernaculis uti moribus, uel alienis obsequundare, quando sunt quos magis capiant peregrina. Incessus nec fractus sit, nec præceps, quorum alterũ est mollium, alterum furiosorum, nec uacillãs. Nam ineptam in incessu subclaudicationẽ Suiceris militibus relinquamus,

Digitized by Google

& ijs qui magnum ornamentũ ducũt, in pileo gestare plumas. Tametsi uidimus episcopos hoc gestu sibi placere. Sedẽtem pedibus lũdere stultorũ est, quemadmodum & manibus gesticulari, parum integræ mentis indicium est.

DE CVLTV.

In summa dictum est de corpore, nunc de cultu paucis, eò q̃d uestis quodãmodo corporis corpus est, & ex hac quoq; liceat habitum animi coniicere. Quanquam hic certus præscribi modus non potest, eò quod non omnium par est uel fortuna, uel dignitas, nec apud omnes nationes eadem decora sunt aut indecora, postremo nec omnibus seculis eadem placẽt displicentúe. Vnde quemadmodum in alijs multis, ita hic quoq; nõnihil tribuendum est, iuxta prouerbiũ, νόμῳ καὶ χώρᾳ, atq; etiam

etiam καιρῷ, cui seruire iubent sapientes. Est tamen in hisce uarietatibus, q̃d per se sit honestum aut secus, uelut illa quæ nullum habent usum, cui paratur uestis. Prolixas trahere caudas in fœminis ridetur, in uiris improbatur, an Cardinales & Episcopos deceat alijs æstimandum relinquo. Mulctitia nunquam non probro data sunt tum uiris, tum fœminis, quãdoquidem hic est alter uestis usus, ut ea tegat quæ impudice ostendũtur oculis hominum. Olim habebatur parum uirile, discinctũ esse, nunc idem nemini uicio uertitur, quod indusijs, subuculis, & caligis repertis tegantur pudenda, etiam si diffluat tunica. Alioqui uestis breuior quàm ut inclinãti tegat partes quibus debetur honos, nusquam nõ inhonesta est. Disse care uestem amentium est, picturatis ac uersicoloribus uti, morionum est ac

Digitized by Google

ſimiorum. Ergo pro modo facultatum ac dignitatis, procq; regione & more adſit cultui mundicies, nec ſordibus notabilis, nec luxum aut laſciuiam, aut faſtũ præ ſe ferens. Neglectior cultus decet adoleſcentes, ſed citra immundiciam. Indecore quidam interularum ac tuñicarum oras aſpergine lotij pingũt, aut ſinum brachialiaq; indecoro tectorio incruſtant, non gypſo, ſed nariũ & oris pituita. Sunt quibus ueſtis in alterum latus defluit, alijs in tergum ad renes uſque, nec deſunt quibus hoc uideatur elegans. Vt totum corporis habitum & mũdum, & compoſitum eſſe decet, ita decet illũ corpori cõgruere. Si quid elegantioris cultus dedere parẽtes, nec teipſum reflexis oculis cõtemplere, nec gaudio geſtias, alijsq; oſtentes: nam alterum ſimiarum, alterum pauonũ: mirentur alij, tu te benecultũ eſſe neſcias.

Quo

Quo maior est fortuna, hoc est amabi lior modestia. Tenuioribus in cōditio nis solatium concedendum est, ut mo derate sibi placeant. At diues ostētans splendorem amictus, alijs suam expro brat miseriam, sibiq; cōflat inuidiam.

DE MORIBVS IN TEMPLO.

Quoties fores templi præteris nu dato caput, ac modice flexis genibus, & ad sacra uerso uultu, Christum di uosq; salutato. Idem & aliâs faciendū, siue in urbe, siue in agris, quoties occur rit imago crucis. Per ædem sacram ne transieris, nisi simili religione saltē bre ui precatiuncula Christū appelles, idq; retecto capite, & utroque genu flexo. Cum sacra peraguntur, totum corpo ris habitum ad religionem decet com ponere. Cogita illic præsentem Chri

Digitized by Google

ſtum cum innumeris angelorũm milibus. Et ſi qui regem hominem alloquuturus circũſtante procerum corona, nec caput aperiat, nec genu flectat, nõ iam pro ruſtico, ſed pro inſano haberetur ab omnibus: quale eſt illic apertum habere caput, erecta genua, ubi adeſt rex ille regum immortalis & immortalitatis largitor, ubi uenerabundi circũſtant ætherei ſpiritus. Nec refert, ſi eos nõ uides, uident illi te, nec minus certum eſt, illos adeſſe quàm ſi uideres eos oculis corporeis. Certius enim cernunt oculi fidei, quàm oculi carnis. Indecẽtius etiã eſt quod quidam in templis obambulant, & peripateticos agunt. Atqui de ambulationibus porticus & fora conueniunt non templa, quæ ſacris concionibus, myſterijs, ac deprecationi dicata ſunt. Ad concionantem ſpectent oculi, huc attentæ ſint aures, huc inhiet animus

mus omni cum reuerentia, quasi nõ hominem audias, sed deum per os hominis tibi loquentẽ. Quum recitat̃ Euangelium assurge, & si potes ausculta religiose. Quum in symbolo canitur, & homo factus est, in genua procumbe, uel hoc pacto te submittens in illius honorem, qui semet pro tua salute, quum esset supra omnes cœlos demisit in terras, quum esset deus, dignatus est homo fieri, ut te faceret deum. Dum peraguntur mysteria, toto corpore ad religionem cõposito ad altare uersa sit facies, ad Christum animus. Altero genu terram contingere, erecto altero cui læuus innitatur cubitus, gestus est impiorum militum, qui domino Iesu illudentes dicebant: Aue rex Iudæorum. Tu demitte utrunq;, reliquo etiam corpore nonnihil inflexo ad uenerationẽ. Reliquo tempore aut legatur aliquid è

Digitized by Google

libello, siue precularum, siue doctrinæ salutaris, aut mens cœleste quippiam meditetur. Eo tempore nugas obgannire ad aurem uicini, eorum est, qui nõ credunt illic adesse Christum: huc illuc circunferre uagos oculos, amentiũ est. Existima te frustra templum adisse, nisi inde melior discesseris, puriorq;.

DE CONVIVIIS.

In conuiuijs adsit hilaritas, absit petulantia: non nisi lotus accũbe, sed ante præsectis unguibus, ne quid in his hæreat sordium, dicarisq; ξυποκόνδυλον, ac prius clam reddito lotio, aut si res ita postulet, exonerata etiam aluo: & si forte strictius cinctum esse contingat, aliquantulum relaxare uincula cõsultum est, quod in accubitu parũ decore fiat. Abstergens manus, simul abijce quicquid animo ægre est. Nam in cõuiuio

nec

nec triſtem eſſe decet, nec contriſtare quenquam. Iuſſus conſecrare menſam uultum ac manus ad religionem cõponito, ſpectans aut conuiuij primarium, aut ſi fors adeſt, imaginem Chriſti, ad nomen Ieſu, matriſq; uirginis, utrũq; flectens genu. Hoc muneris ſi cui alteri delegatum fuerit, pari religione tum auſcultato, tum reſpondeto. Sedis honorem alteri libenter cede, & ad honoratiorem locum inuitatus, comiter excuſa: ſi tamen id crebro ſerioq; iubeat aliquis autoritate præditus, uerecunde obtempera, ne uideare pro ciuili præfractus. Accumbens utranq; manum ſuper menſam habe, non coniunctim, nec in quadra. Quidã enim indecore, uel unam, uel ambas habẽt in gremio. Cubito uel utroq; uel altero inniti mẽſæ, ſenio morbóue laſſis condonatur, idem in delicatis quibuſdã aulicis, qui

ſe

se decere putant quicquid agunt, dissimulandum est non imitandum. Interea cauendum, ne proxime accumbenti cubito, neu ex aduerso accumbēti pedibus sis molestus. In sella uacillare & nunc huic nunc alteri nati uicissim insidere, speciem habet subinde uētris flatum emittentis, aut emittere conantis. Corpus igitur æquo libramine sit erectum. Mantile si datur, aut humero sinistro, aut brachio læuo imponito. Cū honoratioribus accubiturus, capite pexo, pileum relinquito, nisi uel regionis mos diuersum suadeat, uel alicuius autoritas præcipiat, cui non parere sit indecorum. Apud quasdā nationes mos est, ut pueri stantes ad maiorum mensam capiant cibum extremo loco, retecto capite. Ibi ne puer accedat nisi iussus, ne hæreat usq; ad conuiuij finem, sed sumpto quod satis est, sublata qua

dra

Digitized by Google

dra sua, flexo poplite salutet conuiuas, præcipue qui inter conuiuas est cæteris honoratior. A dextris sit poculũ & cultellus escarius rite purgatus, ad lęuã panis. Panem una uola pressum, summis digitis refringere, quorundam aulicorum delitias esse sinito, tu cultello seca decenter, non undiq; reuellens crustũ, aut utrinq; resecans: delicatorũ hoc est. Panem ueteres in omnibus conuiuijs ceu rem sacram religiose tractabãt, unde nunc quoq; mos relictus est, eũ forte delapsum in humum exosculari. Cõuiuium statim à poculis auspicari potorum est, qui bibunt, non quod sitiant, sed quod soleant. Nec ea res solũ moribus est inhonesta, uerum etiam officit corporis ualetudini. Nec statim post sumptam ex iure offam bibendũ, multo minus post lactis esum. Puero sæpius quàm bis, aut ad summum ter in

conuiuio

Digitized by Google

conuiuio bibere, nec decorum est, nec salubre. Semel bibat aliquādiu pastus de secundo missu, præsertim sicco: dein sub conuiuij finem, idq; modice sorbēdo, non ingurgitando, nec equorū sonitu. Tum uinum tum ceruisia nihilo minus quàm uinum inebrians, ut puerorum ualetudinem lędit, ita mores dedecorat. Aqua feruidæ cōuenit ætati, aut si id non patitur siue regionis qualitas, siue alia quæpiam causa, tenui ceruisia utitor, aut uino nec ardenti, & aqua diluto. Alioqui mero gaudentes hæc sequuntur pręmia, dentes rubiginosi, genæ defluentes, oculi lusciosi, mentis stupor, breuiter senium ante senectā. Antequàm bibas præmande cibum, nec labra admoueas poculo, nisi prius mātili aut linteolo absterſa, præsertim si quis suum poculum tibi porrigit, aut ubi de communi bibitur poculo. Inter

bibendū

Digitized by Google

bibendum intortis oculis alios intueri illiberale est, quemadmodum & ciconiarum exemplo ceruicem in tergũ reflectere, ne quid hæreat in imo cyatho parum est liberale. Salutantem poculo resalutet comiter, & admotis labris cyatho paululum libãs bibere se simulet: hoc ciuili nugoni satis erit. Qui si rusticus urgeat, polliceatur se tum responsurum, quũ adoleuerit. Quidam ubi uix bene consederint, mox manus in epulas coniiciunt. Id luporum est, aut eorũ qui de chytropode carnes nõdũ immolatas deuorant, iuxta prouerbium. Primus cibum appositũ ne attingito, non tantum ob id quod arguit auidum, sed quod interdum cum periculo coniunctum est, dum qui feruidum inexploratum recipit in os, aut expuere cogitur, aut si deglutiat adurere gulam, utroq; ridiculus æque ac miser. Aliquantisper moran-

morandum, ut puer assuescat affectui temperare. Quo cõsilio Socrates ne senex quidem unquam de primo crater bibere sustinuit. Si cum maioribus accũbit puer, postremus nec id nisi inuitatus manum admoueat patinæ. Digitos in iussulenta immergere agrestiũ est, sed cultello fuscinaúe tollat quod uult: nec id ex toto eligat disco, quod solent liguritores, sed quod forte ante ipsum iacet sumat: quod uel ex Homero discere licet, apud quem creber est hic uersiculus,

οἱ δ' ἐῶ ὀνείαθ' ἑτοῖμα προκείμενα χεῖρας ἵαλλον

Id quoq; si fuerit insigniter elegãs, alteri cedat, & quod proximum est accipiat. Vt igitur intemperantis est in omnes patinæ plagas manum mittere, ita parum decorum patinam inuertere, quo ueniant ad te lautiora. Si quis alius cibum porrexerit elegantiorem,

præfatus

Digitized by Google

præfatus excusatiunculam recipiat, sed resecta sibi portiuncula, reliquum offe/rat ei qui porrexerat, aut proxime assi/denti communicet. Quod digitis exci/pi non potest, quadra excipiẽdum est. Si quis è placẽta uel artocrea porrexit aliquid cocleari, aut quadra excipe, aut cocleare porrectum accipe, & inuerso in quadram cibo, cocleare reddito. Si li quidius est quod datur gustandum su mito, & cocleare reddito, sed ad manti/le extersum. Digitos unctos uel ore prælingere; uel ad tunicam extergêre pariter inciuile est, id mappa potius aut mantili faciendum. Integros bolos subito deglutire ciconiarum est, ac ba/latronum. Si quid ab alio fuerit rese/ctum, inciuile est manum quadramúe porrigere, priusquàm ille structor offe rat, ne uideare præripere, quod alteri paratũ erat. Quod porrigit aut tribus

digitis, aut porrecta quadra excipiendum. Si quod offertur non cõgruit tuo stomacho, caue ne dixeris illud comici Clitiphonis, nõ possum pater, sed blande agito gratias. Est enim hoc urbanissimum recusandi genus. Si perstat inuitator, uerecunde dicito aut non conuenire tibi, aut te nihil amplius requirere. Discenda est à primis statim annis secandi ratio, nõ superstitiosa, quod quidam faciunt, sed ciuilis & cõmoda. Aliter enim incidit armus, aliter coxa, aliter ceruix, aliter cratis, aliter capus, aliter phasianus, aliter perdix, aliter anas, qua de re sigillatim præcipere, ut prolixum sit ita nec operæ precium. Illud in uniuersum tradi potest, Apitiorũ esse omni ex parte, quicquid palato blandiatur abradere. Abs te semesa alteri porrigere, parũ honesti moris est. Panem prærosum iterum in ius immergere rusticanũ

ticanum est. Sicut & cibum mansum faucibus eximere, & in quadram reponere, inelegans est. Nam si quid forte sumptum est, quod deglutiri nõ expedit, clam auersus aliquò proijciat. Cibum ambesum aut ossa semel in quadram seposita repetere, uicio datur. Ossa, aut si quid simile reliquũ est, ne sub mensam abieceris, pauimentum conspurcans, nec in mensæ stragulam proijce, nec in patinam repone, sed in quadræ angulum sepone, aut in discũ qui apud nonnullos reliquijs excipiendis apponitur. Canibus alienis de mensa porrigere cibum, ineptiæ tribuitur: ineptius est illos in conuiuio contrectare. Oui putamen digitorum unguibus aut pollice repurgare ridiculũ est: idẽ inserta lingua facere magis etiam ridiculum, cultello id fit decẽtius. Ossa dentibus arrodere caninũ est, cultello pur-

gare ciuile. Tres digiti salino impressi, uulgari ioco dicuntur agrestium insignia. Cultello sumendũ est salis quantum satis est. Si longius abest salinũ, porrecta quadra petendum est. Quadram aut patinã cui saccarũ aut aliud suaue quiddam adhæsit, lingua lambere felium est, non hominum. Carnem prius minutim in quadra dissecet, mox addito pane simul aliquãdiu mandat, priusquàm traijciat in stomachum. Id non solum ad bonos mores, uerum etiam ad bonam ualetudinem pertinet. Quidam deuorant uerius quam edũt, nõ aliter quàm mox, ut aiunt, abducendi in carcerem. Latronum est ea tuburcinatio. Quidam tantum simul in os ingerunt, ut utrinque ceu folles tumeant buccæ, alij mandendo diductu labiorũ sonitum ædunt porcorum in morem. Nonnulli uorandi studio, spirãt etiam naribus,

Digitized by Google

naribus, quasi præfocandi. Ore pleno uel bibere, uel loqui nec honestum est, nec tutum. Vicissitudo fabularum interuallis dirimat perpetuũ esum. Quidam citra intermissionem edunt bibũtiue, non quod esuriant sitiantúe, sed q̃d alioqui gestus moderari non possunt, nisi aut scabant caput, aut scalpant dentes, aut gesticulentur manibus, aut ludant cultello, aut tussiant, aut screent, aut expuant. Ea res à rustico pudore profecta nonnullã insaniæ speciem habet. Auscultandis aliorum sermonibus fallendum est hoc tedij, si non datur opportunitas loquendi. Inciuile est, cogitabundum in mensa accumbere. Quosdam autem uideas adeo stupentes, ut nec audiant quid ab alijs dicatur, nec se comedere sentiant, & si nominatim appelles, uelut è somno excitati uideãtur. Adeo totus animus est in patinis. Inur

Digitized by Google

banum est oculis circumactis obseruare quid quisque comedat, nec decet inquenquam conuiuarum diutius intentos habere oculos: inurbanius etiã trãsuersim hirquis intueri, qui in eodẽ accumbunt latere: inurbanissimum, retorto in tergum capite contemplari, quid rerum geratur in altera mensa. Effutire si quid liberius inter pocula dictum factumue sit, nulli decorum est, nedum puero. Puer cum natu maioribus accũbens nũquam loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quopiam inuitetur. Lepide dictis modice arrideat, obscœne dictis ne quando arrideat, sed nec frontem contrahat si præcellit dignitate qui dixit, sed ita uultus habitũ temperet, ut aut non audisse, aut certe non intellexisse uideatur. Mulieres ornat silentium, sed magis pueritiam. Quidã respondent priusquam orationẽ finierit

rit qui compellat, ita sæpe fit, ut aliena respondens sit risui, detq; ueteri locum prouerbio, ἄμαε ἀπῆτου. Docet hoc rex ille sapientissimus, stultitiæ tribuens respondere priusquàm audias, nō audit autem qui non intellexit. Si minus intellexit percontantem, paulisper obticescat, donec ille quod dixit sponte repetat. Id si nō facit, sed responsum urget, blande ueniam præfatus puer, oret ut quod dixerat dicat denuo. Intellecta percontatione, paululū interponat moræ, deinde tum paucis respondeat tum iucunde. In conuiuio nihil effutiendū, quod offuscet hilaritatem. Absentium famā ibi lædere piaculum est. Nec cuiquam illic suus refricādus est dolor. Vituperare quod appositum est, inciuilitati datur, & ingratum est conuiuatori. Si de tuo præbetur conuiuium, ut excusare tenuitatem apparatus urbanum,

ita laudare aut commemorare quanti constiterint, insuaue profecto cōdimē tum est accumbētibus. Denicq; si quid à quoquam in cōuiuio fit rusticius per imperitiam, ciuiliter dissimulandū potius quàm irridendum. Decet compotationē libertas. Turpe est, sub diuum, ut ait Flaccus, rapere, si quid cui super cœnam excidit incogitātius. Quod ibi fit dicitur ue, uino inscribendum, ne audias, μισῶ μνάμονα συμπόταν. Si conuiuiū erit quam pro puerili ætate prolixius, & ad luxum tendere uidebitur, simul atq; senseris naturæ factum satis, aut clam, aut ueniam precatus te subducito. Qui puerilem ætatem adigunt ad inediam, mea quidem sententia insaniunt, neq; multo minus ij qui pueros immodico cibo diffarciūt. Nā ut illud debilitat teneri corpusculi uiriculas, ita hoc animi uim obruit. Moderatio

tamen

Digitized by Google

tamen ſtatim eſt diſcenda. Citra ple/
nam ſaturitatem reficiendum eſt pueri
le corpus, magiſq; crebro quàm copio
ſe. Quidam ſe ſaturos neſciũt, niſi dum
ita diſtentus eſt uentriculus, ut in peri/
culum ueniant ne dirumpatur, aut ne
per uomitum reiiciat onus. O derunt li
beros qui illos etiamnum teneros cœ/
nis in multam noctem productis per/
petuo ſinunt aſſidere. Ergo ſi ſurgendũ
erit à prolixiore conuiuio, quadram tu/
am cum reliquijs tollito, ac ſalutato qui
uidetur inter cõuiuas honoratiſſimus,
mox & alijs ſimul, diſcedito, ſed mox
rediturus, ne uideare luſus aut alterius
parum honeſtæ rei gratia te ſubduxiſ/
ſe. Reuerſus miniſtrato ſi quid opus
erit, aut reuerenter menſæ aſſiſtito, ſi
quis quid iubeat expectãs. Si quid ap/
ponis aut ſubmoues, uide ne cui ueſtẽ
iure perfundas. Candelam emunctu/

rus, prius illam è mensa tollito, quodq; emunctũ est, protinus aut harenæ immergito, aut solea proterito, ne quid ingrati nidoris offendat nares. Si quid porrigis infundis ue, leue id facias caueto. Iussus agere gratias, compone gestus, paratum te significans donec silentibus conuiuis dicendi tempus adfuerit. Interim uultus ad cõuiuio præsidentem reuerenter uersus sit & constanter.

DE CONGRESSIBVS.

Si quis occurrerit in uia, uel senio uenerandus, uel religione reuerendus, uel dignitate grauis, uel alioqui dignus honore, meminerit puer de uia decedere, reuerenter aperire caput, nonnihil etiã flexis poplitibus. Ne uero sic cogitet, quid mihi cum ignoto, quid cum nihil unquam bene de me merito? Non hic honos tribuit homini, non meritis, sed deo.

Digitized by Google

deo. Sic deus iussit per Solomonē, qui iussit assurgere cano: sic per Paulū qui presbyteris duplicatum honorem præcipit exhibere, in summa, omnibus præstare honorem quibus debetur honos, cōplectens etiam ethnicum m[illegible]tum: & si Turca, quod absit, nobis imperet, peccaturi simus si honorem magistratui debitum illi negemus. De parentibus interim nihil dico, quibus secūdum deum primus debetur honos. Nec minor præceptoribus, qui mentes hominum quodammodo dū formāt, generant. Iā & inter æquales illud Pauli locum habere debet, honore inuicem præuenientes. Qui parem aut inferiorem honore præuenit, non ideo fit ipse minor, sed ciuilior, & ob id honoratior. Cum maioribus reuerenter loquendū & paucis, cum æqualibus amāter & comiter. Inter loquēdum pileum læua teneat

neat, dextra leuiter admota umbilico: aut quod decentius habetur, pileum utraq; manu iuncta suspensum, pollicibus eminentibus, tegat pubis locũ. Librum aut galerum sub axilla tenere rusticius habet. Pudor adsit, sed qui decoret, non qui reddat attonitum. Oculi spectent eum cui loqueris, sed placidi simplicesq;, nihil procax improbumue præ se ferentes. Oculos in terram deijcere, quod faciũt catoblepæ, malæ cõscientiæ suspitionem habet. Transuersim tueri, uidetur auersantis. Vultum huc illuc uoluere, leuitatis argumẽtum est. Indecorum est interim uultum inuarios mutare habitus, ut nunc corrugetur nasus, nunc contrahatur frons, nunc attollatur supercilium, nũc distorqueantur labra, nunc diducatur os, nũc prematur, hæc animum arguunt Protei similem. Indecorum & illud, concuſ-

so ca-

so capite iactare comam, sine causa tussire, screare, quemadmodum & manu scabere caput, scalpere aureis, emungere nasum, demulcere faciem, quod est ueluti pudorem abstergẽtis, suffricare occipitium, humeros adducere, quod in nonnullis uidemus Italis. Rotato capite negare, aut reducto accersere, & ne persequar omnia, gestibus ac nutibus loqui, ut uirum interdum deceat, puerũ minus decet. Illiberale est iactare brachia, gesticulari digitis, uacillare pedibus, breuiter non lingua, sed toto corpore loqui, quod turturum esse fertur, aut motacillarum, nec multum abhorrens à picarum moribus. Vox sit mollis ac sedata, nõ clamosa quod est agricolarũ, nec tam pressa, ut ad aures eius cui loqueris non perueniat. Sermo sit non præceps, & mentẽ præcurrens, sed lentus & explanatus. Hoc etiam natu-

ralem

Digitized by Google

ralem battarismum, aut hæsitantiam; si non in totum tollit, certe magna ex parte mitigat, quum præcipitatus sermo multis uicium conciliet quod non dederat natura. Inter colloquendũ sub inde titulum honorificum eius quẽ appellas repetere ciuilitatis est, Patris ac matris uocabulo nihil honorificẽtius, nihil dulcius, Fratris sororis ue nomine nihil amabilius. Si te fugiunt tituli peculiares, omnes eruditi sunt tibi præceptores obseruandi, omnes sacerdotes ac monachi, reuerendi patres, omnes æquales, fratres & amici, breuiter omnes ignoti domini, ignotæ dominę. Ex ore pueri turpiter auditur iusiurandũ, siue iocus sit, siue res seria. Quid enim turpius eo more, q̃ apud nationes quasdam ad tertium quodq; uerbum deierant etiam puellæ, per panem, per uinum, per candelam, per quid non? Obscœnis

ſcœnis dictis,nec linguam præbeat in-
genuus puer, nec aures accommodet.
Denique quicquid inhoneſte nudatur
oculis hominum, indecenter ingeritur
auribus. Si res exigat,ut aliquod mem
brum pudendum nominetur, circum-
itione uerecunda rem notet. Rurſus ſi
quid inciderit,quod auditori nauſeam
ciere poſſit,uelut ſi quis narret uomitũ,
aut latrinam,aut oletum, præfetur ho-
norem auribus.Si quid refellendũ erit,
caue dicat,haud uera prædicas, præſer
tim ſi loquatur grandiori natu,ſed præ
fatus pacem, dicat, mihi ſecus narratũ
eſt à tali. Puer ingenuus cum nemine
contentionem ſuſcipiat,ne cum æquali
bus quidem, ſed cedat potius uictoriã
ſi res ad iurgium ueniat,aut ad arbitrũ
prouocet. Ne cui ſe præferat, ne ſua ia-
ctet, ne cuiuſquam inſtitutũ reprehen-
dat,aut ullius nationis ingenium mo-
résue

résue suggillet, ne quid arcani creditũ euulget, ne nouos spargat rumores, ne cuius obtrectet famæ, ne cui pbro det, uitium natura insitum. Id enim non solum contumeliosum est & inhumanũ, sed etiam stultum, ueluti si quis luscum appellet luscum, aut loripedem loripedem, aut strabum strabum, aut nothũ nothum. His rationibus fiet, ut sine inuidia laudẽ inueniat, & amicos paret. Interpellare loquentem antequam fabulam absoluerit, inurbanum est. Cũ nemine simultatem suscipiat, comitatem exhibeat omnibus, perpaucos tamen ad interiorem familiaritatem recipiat, eosq; cum delectu. Ne cui tamen credat quod tacitum uelit. Ridiculum enim est ab alio silentij fidem expectare, quam ipse tibi non præstes. Nullus autem est adeo linguæ continentis, ut non habeat aliquẽ, in quem transfun-

dat

Digitized by Google

dat arcanum. Tutissimum autē est nihil admittere, cuius te pudeat si proferatur. Alienarum rerum ne fueris curiosus, & si quid forte conspexeris audierisue, fac quod scis nescias. Literas tibi non oblatas limis intueri parum ciuile est. Si fors te præsente scrinium suum aperit aliquis, subducito te. Nam inurbanū est inspicere, contrectare aliquid inurbanius. Itē si senseris inter aliquos secretius oriri colloquium, submoue te dissimulanter, & in eiusmodi colloquium ne temet ingeras non accitus.

DE LVSV.

In lusibus liberalibus adsit alacritas, absit peruicacia rixarum parēs, absit dolus, ac mendacium. Nam ab his rudimentis proficitur ad maiores iniurias. Pulchrius uincit qui cedit contentioni, quàm qui palmam obtinet. Arbi

Digitized by Google

tris ne reclamita. Si cũ imperitioribus certamen est, possisq; semper uincere, nonnunquam te uinci patere, quo ludus sit alacrior. Si cum inferioribus luditur, ibi te superiorẽ esse nescias. Animi causa ludendum est, non lucri gratia. Aiunt puerorum indolem nusquã magis apparere, quàm in lusu. Si cui ad dolos, ad mendacium, ad rixam, ad iram, ad uiolentiam, ad arrogantiam propensius ingenium, hic emicat naturæ uicium. Proinde puer ingenuus non minus in ludo quàm in conuiuio sui similis sit.

DE CVBICVLO.

In cubiculo laudatur silẽtium & uerecundia. Certe clamor & garrulitas indecora est, multo magis in lecto. Siue cum exuis te, siue cum surgis, memor uerecundiæ: caue ne quid nudes alio-

tum

Digitized by Google

rum oculis, quod mos & natura tectũ esse uoluit. Si cum sodali lectum habes communem, quietus iaceto, neque corporis iactatione uel teipsum nudes, uel sodali detractis pallijs sis molestus. Priusquàm reclines corpus in ceruical, frontem & pectus signa crucis imagine, breui precatiuncula temet Christo commendans. Idem facito quum mane primum temet erigis, à precatiuncula diem auspicans. Non enim potes ab omine feliciore. Simul ac exoneraueris aluum, ne quid agas, nisi prius lota facie manibusq́, & ore proluto. Quibus contigit bene nasci, his turpe est generi suo non respondere moribus. Quos fortuna uoluit esse plebeios, humiles aut etiam rurestres, his impensius etiam adnitendum est, ut quod sors inuidit, morum elegantia pensent. Nemo sibi parentes aut pa-

Digitized by Google

triam eligere poteſt, at ingenium mo/ resq; ſibi quiſque poteſt fingere. Colo phonis uice addam præceptiunculam, quæ mihi uidetur propémodum pri/ mo digna loco, Maxima ciuilitatis pars eſt, quum ipſe nuſquam delin/ quas, aliorum delictis facile ignoſcere, nec ideo ſodalem minus habere cha/ rum, ſi quos habet mores inconditio res. Sunt enim qui morum ruditatem, alijs compenſent dotibus. Neque hæc ita præcipiuntur quaſi ſine his nemo bonus eſſe poſſit. Quod ſi ſodalis per inſcitiam peccet in eo ſanè, quod alicu/ ius uidetur momenti, ſolum ac blande monere ciuilitatis eſt.

Hoc quicquid eſt muneris fili cha/ riſſime, uniuerſo puerorum ſodalitio per te donatum eſſe uolui, quo ſtatim hoc congiario ſimul & commilitonum tuorum animos tibi concilies, & illis li/

beralium

Digitized by Google

beralium artium ac morum ſtudia cõ/
mendes. Præclaram indolem tuam Ie/
ſu benignitas ſeruare dignetur, ſem/
perq; in melius prouehere. Datum
apud Friburgum Briſgoiæ,
Menſe Martio,
Anno
M. D. XXX

BASILEAE, IN OFFICINA
FROBENIANA, ANNO
M. D. XXX

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

K 58 7 A

Digitized by Google

Digitized by Google